

SECTIO III.

De Executione.

SUMMARI.

156. & seq. Notatio Executionis. 158. Definitio. 159. Est actus judicialis. 160. Quod verè & realiter victori præstat. 161. Quod per Sententiam obtentum est. 162. Sententiam exequitur Judex. 163. Qui tulit eandem. 164. & seq. Etiam delegatus sit ab inferiore Magistratu. 167. Quando sententia prima instantia confirmatur in secunda, mendum est distinctione. 168. Exequitur Judex à quo, quando Sententia tacite confirmatur. 169. Exequitur Judex ad quem, quando expresse confirmatur. 170. & seq. Inducatur, quomodo sit Executio facienda, quando bona sunt in alieno territorio. 173. Quandoque brachium saculare imploratur. 174. Executio sit in personam & res condemnati. 175. Procurator. 176. Tutor & curator. 177. Item Syndicus sans

immunes ab Executione. 178. Non item heredes. 179. An fidejussor. 180. Nisi iudicatum sibi caverit. 181. & seq. Obiectum Executionis sunt res adjudicata. 183. In debito pecuniario sunt res quæcunque debitoris. 184. & seq. Cum aliqua restrictione circa bona. 188. Qui non habet in are, luit in cure. 189. & seq. In actione reali statim sit Executio. 161. In personali dantur 4. menses. 192. Si quis ad solutionem debiti condemnatus sit. 193. Aut non habeat, quod statim solvat. 194. Servandus ordo in Executione. 195. Et mandus. 196. & seq. Explicatur, qualiter Executio dominium tribuat. 201. & seq. Executionem impedit exceptio. 203. & seq. Restitutio. 205. & seq. Beneficium competentis.

§. I.

Quid sit Executio?

156 **E**xecutio suam appellationem ab exequentis sortita fuit: sicut enim dicitur, mandatum vel iustum exequi, quando, quod mandatum est, re ipsa quod implet: sic Rem iudicatam exequi Judex dicitur, ubi, quod iudicatum est, ipso facto tribuit & adimplet; seu, quod idem est in sensu Juris, ubi sententiam ad emolumentum vel effectum perducit l. si causam 2. l. ordo rei 3. Cod. de Executione rei iudic. Ummius ad Proc. disputat. 23. thes. 1. num. 1. notans, Sententiam exequi in germanico habere hanc significationem, die Dülffe ergeben lassen.

158 Describi potest, quod sit actus judicialis, quod verè & naturaliter victori præstat, quod per Sententiam obtentum est.

Dixi I. actus judicialis. Est enim Executio 159 complementum totius iudicii, & Rei iudicæ principalis effectus, sine qua nec illud nec ista quidpiam utilitatis vel emolumentum conferret, sed in suspenso, & in pendenti manet.

Dixi II. quod verè & naturaliter victori præstat. 160 Per hoc enim Executio in actum redigitur, quod citra fictionem Juris res adjudicata victori in se & natura sua, non in æquivalenti, tradatur.

Dixi III. quod per sententiam obtentum est. 161 Ubi discrimen inter Executionem & Sententiam deprehenditur: quia in Sententia tantum verbis & ore victori res addicitur; at in Executione ipso facto præstat.

§. II.

Quis Sententiam exequatur?

162 **S**ententiam exequitur Judex. Ne enim tumultus fieret in plebe, si victor autoritate propria vellet rem adjudicatam, renitente victo, apprehendere, sibi que extremum Jurisdictionis administrare per l. non est 176. in pr. ff. de R. F. fataliter ordinatum est, ut Executio Sententiæ iudicis autoritate peragatur l. à Divo Pio 15. in pr. & §. 1. ff. de Re iudic. Struv. cit. exercit. 44. th. 17.

163 Competit autem regulariter Executio iudici, qui tulit Sententiam, si mixtum imperium, vel Jurisdictionem ab habente mixtum imperium delegatam habeat. Ummius d. disp. & th. 1. n. 3. Nam Judex pedaneus, ab alio, quam Summo Principe, datus, cum nudam obineat notionem; sicut & Judex, simplici tantum Jurisdictione præditus, non potest exequi suam Sententiam; sed ejus Exe-

cutio iudici, Mixtum Imperium habenti, vel ejus Delegato, committitur d. l. à Divo Pio 5. in pr. & §. 1. arg. l. quæcunque 1. §. 1. l. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisdictione &c. cap. significasti 7. cap. in literis 9. cap. pastoralis 28. §. quia verò de Offic. & pot. Judic. Deleg.

Equidem permulti cum Felino, Maranta, & P. Wiestner h. r. num. 122. negant Delegato Principis vel iudicis inferioris potestatem, Sententiam exequenti, propter cit. l. à Divo Pio. Sed longè melius Abbas in cap. ff. 165 quis 4. de Foro compet. num. 32. affirmat: eum qualem cap. præterea 5. de Off. & pot. Jud. deleg. indefinite pronuntiat, eum, cui causa committitur, super omnibus, qua ad causam ipsam spectare nescuntur, plenariam recipere potestatem: tum quia in cit. l. quæcunque 1. §. 1. & l. ult. §. 1. ff. de Offic. ejus cui mand. est Jurisdictione. Similiter indi-

indiscriminatim afferitur, delegatà Jurisdictione imperium mixtum (cujus actus est Executio) in delegantem transferri. Nec meliori huic placito reluctatur d. l. à Divo Pio: illa enim de iudice Dato loquitur, inter quem & Delegatum ingens intercedere discrimen, monstratum est in Lib. I. tract. de Jurisdictione. cap. 7. à num. 19. Suffragatur Ummius d. h. num. 5.

167 **Q**uis verò Judex Sententiam exequi possit vel debeat, quando post appellationem interpositam Sententia primæ instantiæ confirmatur? Disceptatur. Communis & probata distinctio separat casum, quod Sententia primæ instantiæ solum tacite & ipso facto confirmatur, pronuntiandò v. g. fatalia præterlapia, vel appellationem desertam esse; à casu, quò, recepta appellatione, Sententia primæ instantiæ expresse confirmatur. In primo casu Judex à quo Sententiam potest exequi: cum Judex ad quem hoc ipso, quòd pronuntiet, appellationem desertam, aut fatalia præterlapia esse, per consequens fateatur, Jurisdictionem, à qua potestas exequenti dependet, non ad se devolutam, sed penes iudicem à quo remanuisse, atque Sententiam in Rem iudicatam transiisse non aliter, atque si nunquam appellatum esset, per textum luculentum in l. ult. §. 4. Cod. de Tempore appellat. In altero casu Judex ad quem Sententiam exequitur per textum in l. precipimus 32. §. 2. Cod. de appellat. quia per appellationem, ejus Jurisdictionem, & decisionem, Jurisdictione iudi-

cis à quo suspensa, atque ad iudicem ad quem in causa appellationis est devoluta: siquæ non illi, sed huic facultas exequenti deferretur. Rota Rom. in rec. p. 16. decis. 26. num. 8. & seqq. Ummius cit. l. n. 4. Haunold Jurisprud. Judic. tract. 5. num. 537. Brunnem. ad cit. l. precipimus num. 4. Wiestner ad h. r. num. 124.

Sed quid si Judex, qui tulit sententiam, 170 rem, in quam Executio est facienda, non habeat in suo territorio sitam?

Resp. considerandum esse, num res illa sit sita sub alio iudice, qui iudici, sententiam ferenti, subiectus est; vel, qui subiectus non est.

Si primum; dantur executoriales, 171 ad inferiorem, & mandatum de exequendo decernitur arg. cap. pastoralis 28. §. quia verò de Offic. & pot. Judic. Deleg. & l. à Divo Pio 15. §. 1. ff. de Re iudic. Si secundum; Judex loci, 172 ubi res jacet, per literas requisitoriales, seu mutui compalsus, imploratur, ut Sententiam exequatur arg. cap. Romana 1. §. contra adventes de Foro compet. in 6. l. properandum 13. §. 3. Cod. de Judic. P. Engel h. r. num. 29. Gail. 1. obs. 130. Rosbach in prac. tit. 29. num. 8. & 9. Ummius cit. l. num. 6. Struv. cit. th. 17. Miller ibid. lit. d.

Aliquando Judex Ecclesiasticus, si Reus sit 173 Laicus, & nolit Executioni parere, invocat brachium saculare, quatenus qui minas Ecclesiæ contemnit, Magistratus politici imperio coëcreatur. Gail. 1. observat. 115. Ummius cit. num. 6. P. Engel cit. l. n. 30.

§. III.

In cujus bona Executio fiat?

174 **E**xecutio Sententiæ decernitur in personam aut res illius, qui per Sententiam est victus, non quidem alienò, sed proprio nomine per l. si se 4. in pr. ff. de Re iudic. Unde procurator aut defensor non habet, quòd metuat Executionem, nisi vel liti se obulerit, vel procurator in rem suam extiterit d. l. si se 4. in pr. Brunnem. de Processu d. cap. 29. num. 16.

175 Minus Executionem in bonis propriis formidant tutor vel curator, utpote qui non spontanea voluntate, sed officii necessitate, litem in commodum pupilli vel minorennis tubent d. l. si se 4. §. 1. & ibi Brunnem. num. 2.

177 Pariter nec Syndicus Executionem pertimescit, sed, quia pro Universitate ex officio litigat, Executio contra Universitatem decernitur d. l. si se 4. §. 2. & ibi Brunnem. num. 3.

178 Aliud est I. in hærede, qui, cum universali-

ter in jura activa & passiva defuncti succedat l. in Cod. us Actiones & ad hered. & contra hered. incip. Executionem non minus, quam defunctus, tolerare cogitur l. ex contractu 44. ff. d. r. Ummius cit. disp. 23. th. 1. n. 8.

Aliud est II. in fidejussore, qui judicatus 179 solvendo satisdedit: hunc quippe actione iudicati conveniri, & Executione coërceri posse, supponitur in l. ult. §. 1. Cod. de Usur. rei iudic. ubi Brunnem. num. 8. Ummius cit. l. n. 9. Rosbach cit. tit. 79. n. 11. Qui Authores 180 cum aliis citatis, & omnibus ferè Classicis & Practicis, advertunt, idem in fidejussore contractus non procedere: hic enim merito præterdit, rem, cum debitorè principali actam, sibi non nocere, nec Executionem in se vel bona sua, tanquam ab actione iudicati exemptum, decerni posse arg. eorum, quæ in num. 94. relata, & asserta sunt.

§. IV.

In quas res fiat Executio?

181 **O**bjectum Executionis est res, per Sententiam adjudicata; & quidem illa ipsa, non alia, per textum in cap. cum aliquibus 6. h. t. l. si se 4. §. 3. ff. de Re iudic. Neque enim equitati vel juri convenit, ut aliud pro alio creditori invito solvatur l. mutuum 2. §. 1. ff. de R. C. Unde, si certa species, v. g. fundus, 182 equus, annulus &c. sit petita, & adjudicata, non potest à condemnato reddi alimatio, nec debet à victore recipi, tametsi triplum vel quadrup-

quadruplum rei adjudicate excedat; ut etiam manu militari possit auferri *l. qui restituere 68. ff. de R. P. Ummius cit. l. th. 2. n. 13.*

183 Quodsi in debito personali ad solutionem pecunie quis condemnatus, aut, cum rem amplius non haberet, restitutionem reddere justus, pecunia vel non habeat, vel reddere detrectet, Executio in cætera illius bona sic decernitur, ut primò res mobiles; dehinc immobiles; postremò incorporales, jura, nomina, instrumenta &c. capiuntur *l. à Divo Pio 15. §. 2. ff. de Re judic.*

184 Ne tamen nimium rigori tribuatur, Executio ita temperanda est, ut vestes, leGisternia, instrumenta agriculturæ vel artificij, libri studiosorum &c. non auferantur, quàm diu ex rebus aliis victori potest consuli *arg. l. stipendia 4. Cod. de Execut. rei judic. l. executores 7. & Auth. agricultores Cod. quas res pignoris. &c. P. Engel b. t. n. 28. Rosbach cit. tit. num. 11. Struv. exercit. 4. th. 18. & ibi Miller.*

185 Quoad bona feudalia, emphyteucaria, si-

deicommissaria, dotalia, & similia videtur à pluribus receptum esse, quòd in illa non debeat fieri Executio: quia, sicut alienari, sic victori solutionis loco cedi, vel addici nequeat. Ummius cit. th. 2. n. 15. Aliud verò de fructibus dicendum esse, ratio contraria probat: quia scilicet à possessore possunt liberè distrahi. Sabell. in Summa §. Executio, n. 6. & cit. ib. In dubio, quando non constat, sintne bona, à debitore detenta, propria vel aliena, præsumuntur esse propria, & Executio sustinetur: quia pro possessore militat aliunde præsumptio proprietatis, nisi contrarium ostendatur. Rota Rom. in rec. p. 13. dec. 71.

Si Reus ponitus nihil in bonis habeat, tunc equidem juxta vulgatum axioma inanis est actio, quam debitoris inopia excludit; nihilominus occiditur alia cantilena, quòd, cum in ære non habeat, luere debeat in cute per *l. si quis 7. §. 3. ff. de Jurisdic. l. ult. ff. de Jus voc.*

§. V.

Quæ forma in Executione servanda sit?

189 Ad Executionem, inoffensò pede instituentam, præprimis legitimum tempus observetur, opus est. Ubi tamen inter actiones reales & personales distinguendum est. In actione reali statim Executio in rem peritam & adjudicatam, contra quàm putavit Mindanus, fieri potest, per textum in *§. est in rem 2. Inst. de Offic. Judic.* ubi, si contra possessorem judicaverit Judex, jubere ei debet, ut rem ipsam restituat cum fructibus; nec indulgetur aliquod spatium possessori, nisi impossibilitate restitutionis, mox faciendæ, proponat.

190 Ratio est: quia, dum titulus & bona fides possessoris est resolutus, jus nullum suppetit, quò rem ulterius retinere vel possidere, aut fructus ex ea colligere valeat. Hinc eam restituere tenetur, & si recusaverit, reali exhibitioni locus fit, & manus militaris interponi-

191 tur *l. restituere 68. ff. de R. P.* In actione personali condemnatus ad solutionem debiti tempus quatuor mensium à Jure pro solutione habet indultum *cap. quod ad consultationem 15. h. t. cap. quarenti 26. de Offic. & pot. Judic. deleg. l. eos qui 2. l. sancimus 3. Cod. de Usur. rei judic. ex ea benignitatis ratione: quia non semper ad manum est parata pecunia, sicut res, in Judicio petita: & ideo non tam cito pecunia, quàm res petita valet præstari. P. Engel b. t. n. 27. Gonzalez ad cit. cap. quod ad consultationem n. 12. & seqq. Rosbach cit. tit. 79. num. 14. Ummius cit. disp. 23. th. 3. num. 17. Brunnem. cit. cap. 29. n. 6. & seq.*

192 Dixi tamen: condemnatus ad solutionem debiti. Nam si victus in actione personali non ad solutionem debiti seu quantitatatis, sed ad præ-

stationem speciei sit condemnatus, e.g. ut rem commodatam, depositam, emptam, donatam, locatam &c. tradat vel restituat, intervallum quatuor mensium haud conceditur. Brunnem. cit. num. 7. urget namque eadem ratio, quæ in actione reali.

193 imò si Reus ex maleficio conveniatur, aut pecuniam in continentem paratam habeat, aut in mora periculum sit, existimat alleg. Brunnem. nullum terminum pro solutione concedendum esse per *l. debitores 31. ff. de Re judic.*

Deinde in Executione servandus est ordo quoad bona mobilia & immobilia, juxta num. 183. Et, si ordo ibi præscriptus non servetur, Executionem nullam esse, post Köppen & Mevium, concludunt Miller ad Struv. cit. Exercit. 4. th. 18. lit. l. & Brunnem. ad cit. l. à Divo Pio 15. §. 2. ff. de Re judic. n. 12. quia scilicet ex rescripto Imperatoris iste ordo exequendi pro modo & forma est præscriptus: actus autem contra modum & formam, à Jure præscriptam, gestus est invalidus *l. non dubium 5. in pr. & §. 1. Cod. de LL.*

Demùm in Executione servandus est ordo, ut (ad præcedentem victoris petitionem) primò mandatum de solvendo vel præstando judicato præmittatur; tum verò, si victus non pareat, Executor pignora capiat, victum arretet, per apparitores vel milites rem auferat &c. de quibus & aliis, huc pertinentibus, videantur Ummius cit. l. th. 4. n. 20. & seqq. Brunnem. de Proc. cit. cap. 24. n. 22. & seqq. Perez ad tit. Cod. de Execut. à n. 6.

§. VI.

§. VI.

Quis Effectus sit Executionis?

196 Effectus Executionis est jus, quod victor, in re, per Executionem sibi consignatam, consequitur. Refert nimirum, an egerit actione reali, an personali. Si reali, nanciscitur dominium rei, per Executionem sibi traditam, quando dominium antecederet non habuit per *cap. cum inter 13. h. t. l. cum putarem 36. ff. Famil. heretic. ubi Brunnem. n. 2. l. sed si per n. 197 n. 3. §. 2. & 3. ff. de Reb. or. qui sub int. Vel saltem conditio ulucipiendi in victorem transfertur, ubi victus rei ablata dominus non erat per *l. sunt & alia 3. §. 1. ff. de Publiciana in rem act. l. Pomponius 13. §. 9. ff. de A. vel A. P. l. si per errorem 17. ff. de Usurpat. & usucap. Gonzalez in cap. cum aliquibus 6. h. t. n. 5.**

Si personali actione victor egerit, ulterius indagandum, an egerit ad restituendum sicut in actione depositi, commodati, locati &c. an ad dandum, seu tradendum. Priore casu, cum de dominio transferendo nequiquam agatur, victor nec verum nec præsumptum dominium acquirit. Gonzalez cit. l. num. 6. Postiore casu non aliter judicandum, argue in actione reali per *l. sed si res 5. ff. Communis divid. l. & generaliter 28. ff. de Noxal. action. l. clavibus 74. ff. de Contrah. empt. Gonzalez d. num. 6.*

An & quatenus tale jus victori proficiat in foro conscientie? Repetendum est ex longiùs disputatis à n. 130. usque ad num. 155.

§. VII.

Quænam contraria sint Executioni?

201 Executioni contraria sunt, quæ illam impediunt. Et I. quidem Executionem impediunt nonnullæ exceptiones, quas post Sententiam opponi possit, docuimus in *cap. 10. num. 53. Latè Ummius cit. disp. th. 7. n. 20.*

202 Possint verò Executor de similibus exceptionibus cognoscere? servatà distinctione inter Executorum Jurisdictionis & nodi ministerij, discendum erit ex *lib. I. tract. de Jurisdic. cap. 7. n. 54. & seqq.*

203 II. restitutio in integrum, quæ, si fuerit petita, remoratur Executionem, non secus, ac interposita appellatio *l. un. Cod. in integ. re. l. sit. postul. ne quid novis fiat.*

204 Si tamen appareat, restitutionem præcisè Executionis frustrandæ gratia peti, non impeditur Executio, sed victori cautio duntaxat imponetur, quòd omnia restituere velit, quæ occasione Sententia percipit, siquidem adversarius in causa prævaluerit *cap. suscitata 6. §. ne verò de in integr. Restit. Ummius cit. loc. n. 32.*

III. singulariter Executionem impedit vel in totum, vel ex parte, beneficium competentie, vi cuius, qui condemnatus est, nequit in plus conveniri, quàm facere possit, deducta congrua sustentatione, quoad victum, vestitum, habitationem &c. *l. cum ex causa 30. ff. de Re judic. Eiusmodi beneficium habent personæ Ecclesiasticæ, de quibus in Lib. III. tract. I. parentes & liberi inter le d. l. cum ex causa 30. l. patronus 17. ff. de Re judic. maritus & uxor, si ab invicem conveniantur, d. l. patronus 7. & l. non tantum 20. & seq. ff. d. t. donans respectu donatarij d. l. cum ex causa 30. l. inter eos 19. §. 1. ff. eod. focius adversus focium *l. sunt qui 16. ff. d. t. debitor, qui bonis cessit l. si qui 4. ff. de Cessionib. miles contra quemcumque l. miles 6. in princ. ff. d. t. Perez in Cod. de Execut. à num. 26. Quod etiam ad Nobiles & Doctores extendunt Interpretes cum Struv. cit. l. th. 20. & Millero *ibid. lit. m. & seqq.***

CAPUT XIII.

De Appellationibus.

Contra Sententiam, ne transeat in Rem judicatam, aut Executioni derur, opponitur Appellatio, per quam suspenditur Sententia, finitur prima instantia, & inchoatur secunda. Pono de hac pro conclusione totius Processus Judicarij nonnullas Sectiones, è quibus sit

SECTIO I.

De Natura, Varietate, & Necessitate Appellationis.

SUMMARIUM.

- 1. & seqq. Notatio nominis quoad Appellationem.
- 5. Definitio. 6. & seq. Est provocatio. 8. & seqq. A Judice inferiore ad Superiorem.
- 11. Ratione alicujus gravaminis interposita.
- 12. & 13.